

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

enim judico frugiferum fore Ecclesiæ. Vale in Christo JESU. Basil. 25 Junii, Anno 1556.

T. Sulcerus.

XXXVIII.

S. D. Reverende vir & carissime Frater.

NON dubito, te quoque crebris gemitibus optare, ut aliquot pii & eruditi de Ecclesiæ vulneribus colloqui possint. Id ut fiat, diu jam Principes quidam moliantur. Quorum etsi consilia impedientur, convenire tamen aliquos privatim necesse erit. Qua de re velim, te mihi & tuum consilium scribere. Nunc autem commendo tibi hunc adolescentem, Sigismundum Prettenholtz, natum in Marchia. Patri ejus auctoritatem prudentia & virtus tantam peperit, ut apud sapientem Principem Marchionem inter præcipuos consiliarios sit. Præcipue autem tuetur doctrinæ studia & fovet Ecclesias. Ipsius etiam Sigismundi natura doctrinarum capax est, & modesta. Auditurus est Sturmium & alios eruditos lectores apud vos, quibus ut eum commendes, te oro. Refert enim scire, qui sint hospites. Optat autem Pater, siceum vobis probari, ut aliquanto post adjungatis ei discipulos aliquos, quos erudiat, aut cum quibus in Galliam proficiscatur. Si pater intelliget, vos erga filium officiosos fuisse, majore curâ & ipse ornare Ecclesiam & nostrum gregem tueri studebit. Quare vos oro, ut hunc adolescentem & complectamini, & ornetis. Mitto tibi exemplum enarrationis Epistolæ ad Romanos, quod legas, ut Judex, & judicium mihi tuum significabis. Bene vale. Die Festo Jacobi Apostoli, Anno 1556.

25 Julii

Salutem vobis omnibus opto.

Philippus Melanthon.

XXXIX.

S. Accepi binas tuas, mi suavissime Marpachi, & gratiam habeo pro officio. S. D. Petrum Martyrem ipsi vidimus & convenimus, quem video virum tentationi profecto gravi indulgisse: quando, qui secundo à vobis exul receptus, inque honestum locum constitutus, non ante præterdit, se legibus anterioribus idque contra conscientiam constringi, quam cum locum videret & conditionem apud Tigurinos oblatam. Dominus ergo benè vertat, & affectus impotentiores, qui solus potest, ipse moderetur, benedicatque ecclesiæ, his
tam